DE TABE MESENTERICA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Giuseppe Pellandi

DE

TABE MESENTERICA

Dissertatio Inauguralis

QUAM

AD MEDICINÆ LAUREAM

IN LYCEO MAGNO PATAVINO

OBTINENDAM

PROPONIT

JOSEPHUS PELLANDI

BERGOMAS E ALZANO

PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

1838

4

DE

TABE MESENTERICA

Vita hominis non modo vitiis e morum corruptela procedentibus, vel pravo ingenio, inconsultaque intemperantia provocatis mulctatur; sed adeo infelix est, ut quamvis insons et sibimetipsi nocere impar sit, tamen innumera et quidem dira aegritudinum serie opprimatur. Hujusce sententiae veritatem tabes mesenterica in infantulis et puerulis frequentissime obveniens testatur; hic enim morbus modo sponte ob minus perfectam corporis parvulorum compagem, modo autem culpa illorum, qui valetudini infantum tuendae praeficiuntur exsurgit. De tabe itaque mesenterica pauca exponere pro dissertationis meae inauguralis themate hodie mihi proposui.

Hoc nomine, sed aptius *entero-mesenteritidis chronicae*, adpellatur morbus quidam decursus lenti, parvulis proprius, immo peculiaris, in quo abdomen durum tactui, tumidum, dolens est; dum facies, artusque superiores marasmi notas praeseferunt.

Parvuli in tabem mesentericam magis dispositi valentem et robustum exhibent corporis habitum

quidem, ast praevalentiam in ipsis systematis ſymphatici conspicuam ostendunt; parvuli pingues, edones, absque cura et studio alti, in morbos lymphaticos et rachitidem proni; postremo qui de repente increverunt tabe mesenterica facilius corripiuntur.

Morbi prodromi, vel potius signa primae ejus periodo referenda, sunt: vomitus materiei mucosae, adpetitus inordinatus, flatus, diarrhoea, ventris vespertina tumefactio, regionis hujus ad normam reditus matutinus, urinae lacteae, acidus cutaneae transpirationis odor, respiratio inaequalis; pulsus intermittens, oculus languidus; facies sine gradatione et loci constantia colorata, frons pallescens, lingua sordida, saliva densa, halitus gravis, adpetitus depravatus, caruncula lacrymalis pallida, tristitia, crurum agitatio, genuum debilitas, dolores in lumbis et genibus gravativi, alternatio interdum sensus defatigationis et crampi in extremitatibus inferioribus prodeunt.

Paullo post et sensim sensimque vel ocyus abdomen magis elevatur; prominentiis et depressionibus, quae numerari usque possunt, fit scabrum; adpetitus apud aliquos parvulos imminuitur, apud alios contra adaugetur; post cibos ingestos aegritudo exasperatur; venter tumidior fit, urinae retinentur, os saliva repletur, nisus oritur in soporem; alvi ejectiones irregulares modo, modo pervicax alvi obstipatio, plerumque autem diarrhoea, ventrisve effraenis fluiditas

ad hanc valde accedens consequuntur. Consistunt excrementa faecalia, pappam aemulant, sive figurata et flavescentia sunt: paullatim albida et liquida evadunt, colorem cretaceum, argillosum sumunt et foetent; tunc vermes uberrima copia manifestantur. Acmen morbus adeptus venter quamplurimum tumet, crebriores et voluminosiores comparent prominentiae, non amplius interdum, quum intestina gasis contentis praetermodum distendantur, percipiuntur: tunc dejectiones alvinae alimenta fere indigesta offerunt, pulsus celer et frequens est; artus et facies emaciantur, cutis arida vel anserina aut similis, facies cerei coloris, genae versicolores, modo rubro-pallidae, aut livescentes, labia albida, aut rubra et arida conspiciuntur; sitis inexplebilis, fames vorax, moestitia maxima, somnus brevis et exagitatus comites gradiuntur; confestim marasmus succedit, ascites saepe supervenit, mors tandem tot tantarumque turbarum scenam claudit.

Cadavera infantum tabe mesenterica interemptorum per necroscopiam inspecta exhibuerunt: membranam mucosam intestinorum gangraena deprehensam; intestina ipsa indurata, contracta, invicem adhaerentia, ganglia mesenterica volumine adaucta, interne rubra, dura vel in putredinem conversa, nonnulla conglomerata massas constituentia, quarum volumen valde increscit, aliquae partes rubescunt,

dum aliae in suppurationem abierunt. Contra partes magis morbo correptas membranae mucosae intestinalis ganglia mesenterica profundius laesa et volumine adaucta reperiuntur; epiploon atrophicum et nigricans fit; hepar et splen suppurantia aut scirrhosa, cystis fellea repleta, sunt; vasa lymphatica mesenterii dilatata observantur; serositas copiosa in abdomine saepe colligitur; raro pancreas, gangliorum ad instar mesentericorum laesum, induratum nempe aut molle, aut in purulentam fusionem perversum inventum est. Neque solum in abdomine hujusmodi corruptiones evenire consueverunt, pulmones etiam tuberculosos et suppurantes, pleuram spissatam et strato albuminoso obductam; serosam effusionem in pectore, pericardio et aracnoidea; cerebrumque interdum consueto mollius anatomici pathologi viderunt.

Morbi, de quo famur, causis adscribuntur: lactis materni primis praesertim vitae mensibus defectus; incompleta meconii evacuatio, lactis abusus et alimenti vulgo *panatella*, lactis nimis densi, pappae, alimentorum nimis solidorum, crebraque frequentia exhibitorum, farinaceorum male praeparatorum, vinorum aciditate peccantium, sicerarum acrium, farinae subactae azymae, alimentorum omnium postremo usus indigestorum et rudium, vel nimis nutrientium, particulisque irritantibus onustorum. Potus

fervidi et stimulantes, liquores alcoole divites recenseri merentur inter substantias mesenteritidem infantilem producentes, dummodo saepius largisque quantitatibus puerulis exhibeantur.

Tabes mesenterica post colicas neonatorum, reiteratos vomitus, quamdam pervicacem diarrhoeam, crebras indigestiones, et vermium in intestinis praesentia oritur; vehementis irritationis immo potius inflammationis tubi intestinalis consequentia non raro repentina infantilis atrophiae, seu tabis mesentericae evolutio, propter hujusmodi ad ganglia mesenterica irritationis propagationem, esse potest; incongruus usus abususque oleosorum, absorbentium, et praecipue purgantium inter scrofularum mesentericarum efficaciores causas haberi debent. Morborum cutaneorum in infantia tabes mesenterica interdum est succedanea; post rubeolas et variolas in scenam prodire visa est, rachitidis saepius sistit complicationem, alias consequitur; frequentius apud infantes e lacte depulsos quam apud lactentes observatur; secundam prope dentitionem exsurgit, nulloque magis loco communior morbus hic contingit quam in brephorotrophiis; falsoque rusticos et inopes prae divitibus tabi mesentericae obnoxios esse credebatur, quum infantilis atrophia apud parvulos quorum parentes in opulentia vitam degunt, frequentissime occurrat. Morbi insuper evolutioni favent aër frigidus

et humidus, habitatio in locis humilibus, obscuris, paludosis, viis immundis, vallibus, oris fluviorum cum aquarum libella paribus. Tabes mesenterica parvulos lactentes aggrediens, quum processus morbosus ulterius non impulsus sit, facile debellatur; curabilis pariter in ejus primo stadio esse solet, dummodo puerulus contrariis sub conditionibus versari queat; quo magis vetus erit, eo laesiones graviores evenient, et hinc minus faustus exitus sperandus erit. Quum vero morbus hic aegre devincatur, ubi neque altiorem adeptus gradum sit; maximi interest illum praecavere atque arcere, statim ac prima phoenomena sibi exclusive propria comparuerint. Priusquam tamen ad therapiam et prophylaxin indicandam descendamus; pretium operis est pathologicam morbi conditionem investigare, erroneasque ideas, quae nostris usque temporibus de tabe mesenterica viguerunt, brevi sermone pensitare.

Tumorum praesentia sub parietibus abdominalibus apud infantes tabe mesenterica laborantes perceptorum, nimius gangliis mesentericis influxus concessus, (praecipua enim adssimilationis organa considerabantur); nonnullae vacuae theoriae humorales et mechanicae; nexus membranam inter mucosam intestinorum et illam ganglia obvestientem intercedentis ignorantia; excedens horum evolutio in puerulis tabe mesenterica enecatis, pathologos eo impulerunt,

ut hunc morbum in specifica mesenterii laesione consistere arbitrarentur. Principium inde sumentes vasorum chyliferorum praeconceptam obstructionem gangliorumque, per quae transitant, auferre omnino studuerunt. Hujusmodi imaginaria plerumque obstructio condensationi, collectioni, stasi, depravationique chyli tribuebatur, hinc spe fore ut tot abigerentur turbae, remedia quae attenuarent, liquefacerent, funderent, moverent, renovarentque chylum tali ratione perversum commendata sunt; atque eodem tempore quo tabes mesenterica morbus stricte mesenterii considerabatur, magis ad chylum quam ad organon adfectum pathologi et clinici mentem convertebant.

Antequam tutior fulgeret physiologia, gressusque saepe incertos pathologiae dirigeret, medici ad curandum morbum, de quo dicimus, victum animalem, copiosum et salubrem, usum amarorum quavis sub forma pharmaceutica, purgantia, frictiones siccas, balnea frigida, ad intervalla et indiscriminatim praedicaverunt, neque semper in errorem lapsi sunt. Nonnulla specifica transitoria laudem habuere; oxyda auri et chloruretum baryi aliqua cum utilitate quoque arrepta sunt; hisce tamen saepe irritis auxiliis, morbus fere semper insanabilis tabes mesenterica habitus est. Cognitio tamen indolis et sedis morbi per anatomen pathologicam et physiologiam indaga-

tarum, casuum lethalium numerum profecto minuent, atque praesertim si methodus a rei statu instituenda adhibeatur.

Tabis mesentericae causas attento subjicientes examini videbimus aliquas in cutim primitus agere, cujus functiones ad intervalla consuetudinis in modum supprimunt; tali equidem se habent pacto frigus humidum, lucis defectus, quorum causa circulatio vasorum lymphaticorum in superficie corporis praevalet; imminuitur ibi vitalis activitas, dum sanguineus circulus interna centra petit; et quum hic, ubi id contingat, organon prae caeteris consuete stimulatum aggrediatur, quod in parvulo tubus digerens est, sic primus causae hujus morbificae effectus in turbata digestione a secundaria ventriculi irritatione procedente, consistit; prodit hinc excessu adpetitus, aut ciborum fastidio, juxta irritationis gradum, vomitu vel saltem vomituritionibus, halitus odore acido, rubore apicis et marginum linguae cum punctulis prominentibus, nec non pustulis parvis aliqua in linguae parte comparentibus; quae reliqua in ejus extensione pallida et muco obducta caeterum plerumque observatur. Hos inter limites morbus non raro moratur; verum si ventriculus alimentis actioni organorum digerentium obsistentibus repleatur, illumque, ut digestio perficiatur, magis quam par est excitent; si cibi praefati indigesti, rudes, male

conditi, vel nimis substantiosi, sapidissimi aromatibusque confecti, additis praecipue potubus stimulantibus, ventriculum et intestina adsidue irritent, diarrhoea superveniat, neque ad diaetam austeram, potissimum tunc remedium, medentes confugiant, sed contra alimenta nutriciis principiis scatentia exhibeantur; ventriculus habitum contrahit demittendi haecce confestim vix elaborata in duodenum, exinde in ileum et jejunum: cibi sic dyspepti membranam mucosam intestinalem irritant; irritatio ad ganglia mesenterica per vasa chylifera propagatur, vel tantummodo symphaticum ob nexum actionis cuncta orificia canalium excretoriorum vel et absorbentium cnm ganglio aut receptaculo a quo proficiscuntur, aut in quod desinunt conjungentem; ganglia propter diuturnam irritationem fluxus centra fiunt, tument, inflammantur, suppurant, sive durescunt, scirrhosi vel tuberculosi evadunt; hoc vigente processu, tubus intestinalis perexcitatus, contractus, et vacuus semper manet; alimentaque eodem fere statu quo fuerunt ingesta ejiciuntur. Ciborum itaque dyspepsia, transitus eorum celeritas, ingrata in vasa chylifera sensatio exercita efficiunt, ut haec vasa sufficientem chyli quantitatem, ad quotidianas jacturas animalis oeconomiae reparandas necessariam non amplius excipiant; atque si illam adipiscantur, quum liquor hic imperfecte

elaboretur novae tum in ganglia mesenterica, cum reliqua in organa irritationis causa fit. Praetereundum tamen non est hujusmodi alterationem probabilem solum valde esse; nihilominus digna est quae prae caeteris admittatur, quum doctrina cui inhaeret factis decucatur, omnium symptomatum, laesionumque cadavericarum rationem reddat non modo, sed etiam universi detrimenti, artuum, eorundemque parietum abdominalium emaciationis causas explicet, et volumen quod abdomen attingit partim a tumore gangliorum mesentericorum, partim ab intestinorum meteorismo pendere doceat.

His positis, ad tabis mesentericae evolutionem praecavendam animadvertere oportet: ut amoveantur omnia quae non modo inflammare, sed etiam organa digerentia defatigare valent; alimenta materiem residuam magna copia reliquentia in intestinis, vel quorum actio ad haec usque viscera diffunditur, prohibeantur; ut parvuli alimentum eorum tubi digerentis statui, tum quoad qualitatem cum quantitatem, congruum tantum ingerant; ut clysmatibus emollientibus, oleosis, potionibus laxantibus, jure scilicet vitulino, gallinaceo, alvi obstipatio arceatur: quae auxilia faecum ejectionem sollicitant, quin intestinalis irritatio, alvi clausae modo causa, modo socia, augeatur; ut postremo parvuli in aëre sicco, ventilato, puro, tepidulo, saepeque renovato collocentur.

Neonatus si lactet, et suae nutricis lac colicas et diarrhoeam promoveat, hujus valetudo sedulo erit observanda, ut integra sibi restituatur, opportunisque remediis ipsius constitutio ad normam reducatur; hoc autem penitus denegato, ad aliam illico confugiendum erit. Quando nutrix ipsa mater sit, ejusque temperamentum maximo gradu lymphaticum ostendatur, mercenaria nutrix juvenis, temperamento sanguineo, robusta corporis compage, cujus lac recens sit, ei subrogetur. Perraro tamen haec mutatio necessaria evadit; lac enim maternum cuique alteri semper est praeferendum.

Pessima consuetudo pappam, pultem, carnes, aut saltem juscula carnium intempestive parvulis exhibendi, una ex causis tabis mesentericae est, contra quam nunquam satis daclamabitur; quod si pappa alimentaque faecula divitia morbum producant, id neque a specifica ipsorum actione, neque, sicuti olim putabatur, a chylo denso, viscido, acido, quem suppeditant, dependet; nullum enim statim ac cum organis ipsa elaborandi idoneis congrediuntur, detrimentum ferunt; mali eorum effectus in parvulis a praematura eis administratione, nimia copia, vel prava compositione procedunt: matribus hinc et nutricibus severe jubendum, ut parvulos suos per duos tresve saltem primos menses vitae eorum lacte solum alant; quo lapso tempore, si alimenta nuper fata concedan-

tur, invigilandum, ut maxima diligentia praeparentur, exiguisque dosibus ad intervalla exhibeantur; linguae, cutis, egestionum conditio examinetur, ut num perfecte elaborentur dignoscatur; statim ac et levissimum irritationis indicium gastricae aut intestinalis exsurgat, nutrici potus mucilaginosi porrigantur; puerulo clysmata injiciantur, fotus emollientes super abdomen instituantur.

Infantibus lactentibus alimenta nimis cito a lacte nutricis diversa administrare nocuum jam vidimus; ast lacte solum primam post dentitionem eos alere non sufficit; si homo corporeae suae constitutionis causa frugivorus et carnivorus, quod dentes abunde demonstrant, est; primam post dentitionem, inquam, cibo a lacte diverso quidem egebit; quae ibi notantur, quum inter causas tabis mesentericae lactatio diutius quam par est producta recenseri velit; ut autem hujusmodi effectus oriatur, lac pessimae qualitatis esse oporteret.

Tabe mesenterica, cautelis superius indicatis omissis, in puerulo e lacte depulso evoluta, medici attentio ad probabiliorem causam determinantem peculiari modo convertatur; linguam, cutim, dejectiones alvinas, abdomen sedulo subjiciat examini; hinc observet an lingua in marginibus rubra sit, punctulis rubris in superficie notetur: albida enim et sordida generatim esse solet, num vorax adpetitus aut anorexia, fastidia,

vomitus, obstipatio vel diarrhoea, excessivus abdominis calor, atque dolor sub pressione exasperandus deprehendantur. Prognosis et indicationes therapeuticae ex hisce symptomatibus depromuntur magis, quam a tumore abdominis gangliorumque mesentericorum; marasmus valde progressus in eadem semper cum illorum gravitate, et statu aegri interdum ratione procedit. Gastricae aut intestinalis irritationis symptomatibus evanidis, morbus minus erit metuendus; et quamvis ut infausto modo judicetur sit futurum, serius eveniet, et spes aegri a morte eruendi aliqua saltem supererit.

Tabis mesentericae tutam praescribere therapiam arduus summopere labor; morbi infantum et prudentiam et vigilantiam medicorum saepissime eluderunt; auctores de hoc morbo scribentes quum consuluissem, adserere plerumque non haerent morbum naturae commissum melius sanari; nonnulli tonicam et excitantem methodum, alii leniter deprimentem suadent; desertae, oppositisque pharmacis et regimine tabis mesentericae tractatae, atque tamen penitus sanatae exempla prostant. Quamobrem quae collegimus consilia ad morbi stadia et varietates adcomodanda, hîc syndromes in modum tradere non dubitamus.

Quotiescumque abdominis tumor, emaciatio artuum, thoracis et vultus cum marginum linguae rubore, siti, fastidio, vomitu, arido cutis, praesertim ab-

dominis calore, colicis, diarrhoea conjuncta non gradiatur; ubi preterea parvulus suapte natura extenuetur, pallescat, decoloretur, parentibus valde lymphaticis procedat, nutrice eodem temperamento lactatus, vel alimentis aquosis, acidis, lacticiniis, substantiis tandem materia nutriente inopibus pastus fuerit; siccus, ventilatus, tepidulus morae locus illi adsignabitur; vestibus calefacientibus induetur; alimentis e regno animali ductis, veluti jusculis pinguibus, concoctis, carneis, faeculisque sustentantibus, oryza sativa nempe, et sic porro, utatur; potus illi sit vinum optimum meracum aqua temperatum: exhibeatur insuper quotidianum rhei infusum, parca dosi paratum, ne frequentes et copiosae alvi dejectiones provocentur. Deambulatio in aëre aperto, frictiones siccae totum ad corpus extensae, balnea tepidula sulphurica, meliusque aromatica praescribantur. Adlaborandum insuper enixe ut cutis functiones excitentur, derivatio hinc quaedam hunc in textum producatur, lenis in ventriculum et intestina stimulus adferatur, et bonae indolis materiae nutrientes in animalem oeconomiam introducantur.

Haec praecepta quae magis regimini diaetetico, quam therapiae directe sunt adscribenda, illi statui magis opportuna sunt, qui ad scrofulam, ut ajunt, torpidam accedit. Raro autem in praxi occurrit, ut in tabe mesenterica medela stimulans omnino in usum

vocari debeat, cavendum immo ne debilitatis species nos in errorem trahat. Caeterum aetas individuorum, quibus auxilium ferendum est, non patitur energicam et rite directam medendi rationem; quamobrem prudens diaeta primum curationis cardinem constituit. Statim ergo ac symptomata penitus penitusque a superius enumeratis diversa prodeant, victus potius attenuans commendandus, et leniter antiphlogistica medela erit suscipienda; individuum, verbo, veluti scrofula erethistica laborans considerandum. Huic sententiae dum nova doctrina gallica irritationis omnino favet, priori enixe adversatur: nos verum cogitatis practicorum aevi et gentis omnis inhaerentes duplicem tabi mesentericae arcendae therapiam admittimus; quamvis una eademque causa duplicem morbi formam producat, vel potius adfectionis ejusdem statum diversum constituat; altera nempe in tabem inflammationis aut saltem irritationis characterem induentem aut a phlogosi procedentem acuta; altera verum in tabem ad statum infarctus et obstructionis, vel clarius chronicae phlogoseos, aut etiam suppurationis migratam dirigenda. Primo in casu tabes sive a gastro-enteritide, sive meseuteritide recens exorta, quousque processus hujus indicia haud dubia remanent, etsi individuum collapsus virium signa manifestet, huic adspectui non erit auscultandum; mucilaginosa et eccoprotica administrentur, potus di-

luentes atque erethismum moderantes propinentur, neque hirudinibus in superficie abdominis et ano adplicitis, ubi res id postulet, parcatur. Monendum simplicem medicinam et diaetam congruam hocce in statu summopere prestare.

Neminem latet arduam esse parvulorum curam, eo quod ipsi praecipi nequeat sicuti adultis, talique pacto irriti saepius medici conatus fiant. Idcirco quae sum dicturus aetati huic, quamvis peropportune indicata, a morbo tabifico liberandae parum juvabunt, non suapte natura, sed propter usus difficultatem; attamem cum tabes mesenterica et in adolescentibus occurrat, pro his saltem utilia evadent.

Ne nos corripiat timor, quo broussaisianae doctrinae asseclae adficiuntur, (etsi morbi pathogeniam scholae illius pro maxima parte fuerimus amplexati), ubi de remediis in tubum gastro-entericum immediate agentibus agatur. Quando tabes mesenterica, torpidae scrofulae indolem habeat, eodemque tempore febris exsurgat, sulphas chininae praeparatis ferri, antimonii, mercurii, jodii, prout res postulat, maximo cum emolumento nubetur; addimus insuper sulphatem chininae cum ferro optime arripi cum morbus suppurationis et febris consumptivae simul symptomata gerat, idemque pharmacum egregie cum mercurio et stibio in usum vocari, cum infarctus, ut veterum utar dicendi modo, gangliorum mesenteri-

corum praevaleat. Methodus endermica pro his remediis admovendis in puerulis ea ingerere recusantibus maximi est momenti. Potus amari pharmacorum solidorum aut alius formae virtuti opitulabuntur. Reliqui modo esset, ut de convalescentia dirigenda verba facerem; diaeta verum potius partis hujus therapeusis, immo totum fundamentum costituit; et quum de illa priusquam de medela pharmaceutica fusius dixerim, loquutus sim, hic dissertatiunculae meae finem imponam.

THESES DEFENDENDAE

1. Chronicae phlogoses remedia minoris efficaciae, ast diuturnioris durationis postulant.

2. Hyemali tempestate arteriosus, aestiva autem venosus circulus saepius laeditur.

3. Remedia contra vermes in vermifuga et anthelminthica rite distinguuntur.

4. Quamvis idea vitae semper hypothetica sit futura, nihilominus pathologia illa melius ad veritatem accedet, quae probabiliori nititur physiologiae.

5. Sulphas chininae praeparatis mercurii, ferri, jodii, antimonii nuptus in tabe mesenterica cum febri incedente praestans remedium.

6. Phthisis mesenterica ab enteritide procedens differt ab illa e mesenteritide primitiva derivata.

7. Consultationes medicae inter ejusdem scholae discipulos parum utiles, medicos autem inter discrepantes et animo et corpori aegrotantis noxiae.

8. Vitalis activitas in superficie imminuitur, cum circulus sanguineus interna centra petat.

9. Secale cornutum magis dosibus modicis et frequentibus, quam largioribus et distantibus juvat.

10. Medicina plurium scientiarum complexu constituitur, ipsa verum scientiae dignitatem nunquam assequetur.